

Consulm. Cadurcen. p. titis annuus Studium Generale in ea Civitate confirmat.

diversarum facultatum dogmatibus eruditi facundi, & undique illustrati fructum uberem largiente Domino, suo tempore producturis attendentes quoque sinceræ fidei puritatem, ac eximig devotionis affectum, quos dilecti filii Consules & Universitas ejusdem Civitatis ad nos & Romanam Ecclesiam habere noscuntur: Ex prædictis causis, porrectis etiam nobis pro parte Consulm & Universitatis prædictæ humilibus & devotis supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica statimus & ordinamus, quod in Civitate prædicta perpetuis futuris temporibus Generale Studium habeatur, & vigeat in qualibet licita facultate, quodque præfatum Studium, ac ejus Universitas, ac Doctores, Magistri, licentiati, Baccalaurei, & Scholares pro tempore commorantes causa studiorum ibidem, omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus, concessis studio Tholosanenfi, ac Universitati eius, plene & libere gaudeant & utantur. Nulli ergo omnino hominum &c.

Dat. die 3. Junii 1332. An. XVI.

Datum Avenione VII. Idus Junii, Pontificatus nostri anno XVI.

BENEDICTUS XII.

PAPA CXCVII.

ANNO DOM. MCCCXXXIV.



Die 20. Decembris anno 1334. Cardinales in Palatio Avenionensi, ubi decesserat Joannes XXII, inclusi in Pontificem Romanum Jacobum Fournierum, Presbyterum Cardinalem Tituli S. Priscæ, qui in minoribus ex Ordine Cisterciensi, mox Appalarum, postmodum Mirapiscensis fuerat Episcopus. Hic vocatus est Benedictus XII. qui coronatus est in Ecclesia Fratrum Prædicatorum die 8. Januarii anni sequentis. Sedit itaque in Pontificatu a die coronationis suæ Annos VII. Mefs. III. imperante in Oriente Andronico Juniore Imperatore. Obiit siquidem Avenione die 25. Aprilis 1342. & sepultus est in Ecclesia Cathedrali. Post ejus mortem vacavit Sedes dies XI. (a)

Bene-

(a) Episcopi extremi.

I.

Benedictus Prælatos Ecclesiarum certiores facit de sui electione in Pontificem.

Ex Regnal. ad ann. 1334. p. 3.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Rhemenfi, & Episcopis, ac dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælati, exemptis, & non exemptis, per Rhemensem Provinciam constitutis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium à divina providentia petunt.

Altitudo cælestis consilii, supra cæta tenens in excessis imperium, sic dat esse rebus, & dispensat ineffabili providentia munera gratiarum, sic creaturarum condiciones & status ordinat, ac, prout vult, variat & disponit, quod sensus humanus, ejus secreta consilii pericrutarum non valens, in horum consideratione potius hebetatur, cum sint investigabiles via Domini, & sapientie sue magnitudinem humani non capiant intellectus: facit enim fortem ex debili, balbutientibus eloquium tribuit, & ponit nonnunquam humiles in sublimi, plenam & perfectam habens ad singula, tamquam palmo concludens omnia, potestatem.

§. 1. Sane felicitis recordationis Joanne Papa vigesimo secundo Predecessore nostro nuper, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, & ad cælestem patriam ab hujusmodi miseria, sicut pie credimus, evocato, ejusque corpore cum exequiarum solemnitate debita tumulato, venerabiles Fratres nostri, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione Pastoris convenientes in unum, sub deliberatione consilii, quam tanti negotii qualitas exigebat, habito super electionis futuri Papæ celebratione tractatu, licet consentire potuissent in alios majorum meritorum claritate conspicuos, & plurium virtutum titulis insignitos, tandem ad personam nostram dirigentes unanimiter vota sua, nos ad summi Pontificatus Apicem divinæ dignationis clementia evocarunt.

Humiliter de se fecit Benedictus.

§. 1. Nos igitur, nostrarum insufficientia virium, & administrationis tam arduæ sarcinam, tantique oneris gravitatem intenta consideratione pensantes, intra nostra præcordia, quid inter tot diversas & varias sæculi fluctuationes & pugnas agendum, quidve tenendum, quidve persandum extiterit, animo duximus trepido revolvendum. Demum vero spiritus virtute reassumpta, in illo, qui assurgit in occursum timentium & implorantium humiliter nomen suum, quique clementer in semitis suis gressus hominis perficit, inter hujusmodi cogitationum fremitus anchoram spei nostræ fiximus, ad ferendum sub ejus fiducia jugum servitutis apostolicæ imbecilles humeros humiliter submittentibus, ac subsequenter Benedictionis & Coronationis Solemnia, Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

Suamque exponit in Deo fiduciam postiam.

& cetera recepimus secundum morem ejusdem Romanæ Ecclesiæ, in personis Romanorum Pontificum Predecessorum nostrorum hætenus observatum antea; & humiliato spiritu Domino supplicando, ut ipse, qui nos jugum hujusmodi subire concessit, sic ad ipsum portandum debilitatem nostram suæ virtutis robore fulciat, sicque illud faciat sua benignitate portabile, quod sub eo non contingat, nos ex nostra debilitate deficere, sed ita sua omnipotentia nobis, & gregi dominico, vigilantia nostræ commisso, potius proficere, quod de talento nobis credito dignam valeamus in extremo judicio reddere rationem.

§. 2. Cum autem nos ad tanti molem ponderis levius & salubrius perferendam, ac præfatum Ecclesiam, quæ procellis ac turbinibus agitari assolet, piis & devotis expediat orationum suffragiis adjuvari, universitatem vestram rogamus & obsecramus in Domino Iesu Christo, quatenus apud ipsum, Sponsum ejusdem Ecclesiæ, suppliciter in humilitate spiritus devotis precibus insistatis, ut, tempestosa procellarum molestia quiescente, Ecclesia ipsa sub facilis auræ serenitate lactetur, luxque pacis copiosa sibi resplendeat, errorum & dissensionum tenebris de medio fidelium profligatis; ac gressus nostros, dum in præsentis valle miseriæ peregrinamur a Domino, per suorum dirigat semitas mandatorum; nostræque debilitatis humeris fortitudinis robur adjiciens, misericorditer nobis pietate concedat, præfatum Ecclesiam ad sui nominis laudem & gloriam utiliter gubernare, ut cum domus nostræ habitationis terrenæ signum ejus imperio, per quem in præfati sæculo juxta originariæ conditionis cursum solum ingressum habuimus, dissolvetur, in illa cælesti Jerusalem, ad cuius ædificationem, ceu quidam expoliti lapides, electorum animæ deferuntur gloriosam non manufactam, sed eternam dignetur concedere mansionem.

Fideles humiliter ad Deum preces fundant cohortantur.

Datum Avenione quinto Idus Januarii, Pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 Januarii 1335. An. I.

II.

De Apostatis, seu alias quomodolibet habitum Religionis dimittentibus, ac extra suorum Ordinum claustra evagantibus, deque eorundem animadversione, ac Prælatorum facultate absolvendi respicientes ab excommunicatione, & super irregularitate dispensandi ratione Apostatiæ.

Ex Regal. in Archiepiscopo.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Pastor bonus, diligens, operosus, & pervigil, oves suas errabundas & devias, ne lacerentur & devorentur lupinis a moribus, ad caulam reducere satagens, sollicitè & prudenter super illas & alias suæ custodiæ deputatas instituit studiosas excubias, sibi & eis spiritaliter & temporaliter salutares. Sic ergo nos, qui cælesti disponente

Premium.

C c Pa-

Passore, quamquam immeriti, constituti sumus in Summi Pontificii specula & Domini Nostri Iesu Christi Vicariatus officium exercentes...

Hæ Confir- rutione con- siliere se velle ait Pontifex Regularibus asserentibus se in claustris permanere non posse.

Præcipit Præ- latis Ordinibus, ut Regulares apostatas, vel vagantes in- quirant, & ad Religionem reducant.

Renitentes vero secun- dum loci cir- cumstantias diversimode cogant ad id.

Regant quo- que Regula- res, qui ab uno ad alium Ordinem in- consulta Sede Apost. tran- siverunt, pri- mum assu- mere habitum.

§. 1. Sane ad Apostolatus nostri non sine mentali molestia jam dudum perducto notitiam, quod nonnulli, stabilitatis suæ professionem violato proposito, Regularem habitum temere dimittentes, ac de diversis Mundi partibus ad Sedem Apostolicam confluentes...

§. 2. Volumus namque & Apostolica auctoritate ordinamus universis & singulis tam exemptis, quam non exemptis Prælatibus in mediis quorumcumque Religiosorum quorumlibet Ordinum, in virtute sanctæ obediencie districte precipiendo mandantes, ut ipsi Prælati Apostatas, & etiam de suis Ordinibus egestos, & quosvis Religiosos alios eis subditos sine Prælatorum eorumdem licentia per seculum evagantes inquirant, seu inquiri faciant diligenter, ipsosque ad Religionem reducere studeant eorumdem.

§. 3. Quod si Apostate, egesti, ac evagantes Religiosi præfati redire noluerint: aut Prælati ipsorum prædictis super his inobedientes seu rebelles extiterint, illos, qui ad præsens apud Sedem consistunt eandem, Auditor Camere Apostolicæ; alios vero, exemptos videlicet, Apostolica; non exemptos autem ordinaria auctoritate locorum Ordinarii ad requisitionem dictorum Prælatorum capere teneantur: per Auditorem ac Ordinarios antedictos Prælatibus eisdem sine difficultate qualibet remittendos, ut sic redire ad Religiosam observantiam, & obedientiam Prælatorum suorum, ac in illis persistere, compellantur.

§. 4. Nostræ præterea intentionis existit, rursusque volumus & ordinamus, ut omnes Apostate, qui Religionem seu Religionis, quam professi sunt, habitum dimiserunt, & ad Religionem aliam absque prædictæ Sedis, seu alia debita licentia transferunt, habitumque assumpserunt huiusmodi Religionis alte-

rius, etiam si in ipsa Religione altera, in qua, ut præfertur, assumpserunt habitum, secundo professi fuerint, ad Religionem earum primam, dum tamen canonice in ea professi fuerint, infra trium mensium spatium, computandum a die, qua hæc intentio voluntas & ordinatio nostræ ad notitiam eorum pervenerint, vel per ipsos steterit, quominus perveniant ad eisdem (quod quidem spatium eis pro peremptorio termino assignamus) corent reverti, & habitum ipsius primæ Religionis nequiter dimissum resumere ac gestare.

Apostatas vero respicientes recipere omnino teneantur.

Ex Mendicantibus vero, qui in primis locis recipi nequeunt, alibi recipiantur.

Pœna vero eis imminuenda.

§. 5. Volumus quoque ac etiam ordinamus, quod prædicti Prælati Ecclesiarum, Monasteriorum, seu aliorum locorum quorumlibet, a quibus ipsi Apostate, ut præmittitur, temere apostatarunt, eisdem Apostatas ad habitum & Religionem eorum priores recipere teneantur. Quod si forte iidem Prælati, Capitula, Conventus, Monasteriorum, seu fratres eorum & locorum prædictorum recusarent recipere Apostatas prælibatos; volumus & ordinamus, quod ipsi Prælati, Capitula, Conventus, & fratres per certos exequutores, super hoc a Sede Apostolica deputandos, ad eos recipiendos, salva Ordinis disciplina, quam volumus & mandamus circa illos, qui voluntarie redierint, hac vice, ut infra sequitur, misericorditer temperari, monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo compellantur.

§. 6. Nempe circa illos ex dictis Apostatis, qui Ordinum Mendicantium fuerint, etiam volumus & ordinamus, quod si Apostate ipsi Ordinum, ut prædicitur, Mendicantium in suis primis locis eorumdem suorum Ordinum recipi commode nequeant, in aliis locis Ordinis cuiuscumque ipsorum vel alterius Ordinis dictorum Mendicantium, si alii Mendicantes huiusmodi Apostatas recipere voluerint, hac vice collocentur: & nihilominus Religiosi prædicti locorum ejusdem Ordinis ad recipiendum Apostatas, ipsos, qui transire ad alia loca ejusdem Ordinis, ut præfertur, habebunt ad recipiendum dictos Apostatas in locis huiusmodi per exequutores a prædicta Sede super hoc deputandos, si opus fuerit, censura simili compellantur.

§. 7. Et quia nimia rigoris vel pœnalis seu poenitentialis asperitas ob fragilitatem carnis humanæ non ædificat, sed corrumpit, volumus & ordinamus erga omnes Apostatas prædictos, quemlibet ipsorum per eorum Prælatos, servato subscripto moderamine, provideri: scilicet quod ipsi Prælati circa huiusmodi Apostatas, etiam si ante vel post eorum apostasiam excessus in Ordine suo vel extra illum commiserint, & proinde vel etiam ex quacumque alia causa in Apostasiam huiusmodi lapsi fuerint, vel Ordinis sui carceres effregerint, seu ab ipsis evaserint, quod eis pœnam seu poenitentiam salutarem imponant juxta eorumdem Ordinum statuta antiqua: quam tamen pœnam seu poenitentiam sic etiam misericorditer volumus temperari, quod iidem Apostate terrore ultionis seu pœnæ a sum-

Prælati data facultate eos a censuris absolvendi eum eisque dispensandi super irregularitate, &c.

Obstantium derogatio.

Pœnitentibus literæ Apostolicæ concedende.

Dat. die 17. Junii 1335. anno 1.

Exordium.

Causæ huius prohibitionis.

pione suorum Religionis & habitus minime retrahantur.

§. 8. Insuper memoratis Prælatibus eorumdem Apostatarum, dictos Apostatas, ad Religionem suam pristinam, vel aliam Mendicantium, ut prætangitur, redeuntibus, absolvendi hac vice juxta formam Ecclesiæ ab excommunicationis sententia, in quam apostatando taliter inciderunt; & cum eis super irregularitate, quam occasione apostasie huiusmodi, vel alias forsitan sic ligati divina officia celebrando, imo verius prophanando, aut illis se immiscendo, damnabiliter incurrerunt, prout eorumdem Apostatarum salutem iidem Prælati expedire viderint, dispensandi plenam & liberam concedimus auctoritate Apostolica potestatem.

§. 9. Non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus quorumlibet Ordinum, Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum locorum prædictorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, vel etiam privilegiis, indulgentiis aut literis Apostolicis, seu aliis quibuscumque, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri: & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum plenam & expressam oporteret in nostris literis fieri mentionem.

§. 10. Ut autem voluntatum & ordinationum nostrarum præmissarum, aliorumque superius expressorum exequutio promptior & efficacior subsequatur, volumus & mandamus, quod Ordinarius, Prælati, Apostatis, ac Religiosis prædictis pœnitentibus, juxta qualitatem casuum eorumdem opportune ipsi literæ Apostolicæ concedantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatum, ordinationum, mandatorum, & concessionis infringere &c. Datum Avenioni quindecimo Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Primo

III.

Quod Fratres Mendicantes ad Ordines Monachorum Nigrorum, & Cisterciensium transire non possint absque licentia Romani Pontificis.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Regularem vitam professis expedit subtrahi omnem inquietudinis & turbationis materiam, quo in contemplationis suavitate quiescere valeant, & tranquillum reddere Domino famulatum.

§. 1. Cum igitur ex eo, quod professores Ordinum Mendicantium ad Monachorum Nigrorum, & Cisterciensium Ordines consueverunt plerumque transire, multas in dictis Ordinibus turbationes, infestationes, molestias, Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

damna, & scandala provenisse experientia doceat manifeste;

§. 2. Nos his ex debito pastoralis officii pro futuro tempore occurrere cupientes, de consilio Fratrum nostrorum decernimus, nequis cujusvis Ordinis Mendicantium professor ad aliquem dictorum duorum Ordinum quomodocumque transire valeat sine Romani Pontificis licentia speciali, plenam & expressam de Constitutione huiusmodi mentionem faciente.

Prohibitio de qua in Rubrica.

Obstantium derogatio.

§. 3. Non obstantibus privilegiis Apostolicis quibuscumque concessis in contrarium dictis Ordinibus Mendicantibus, seu eorum Prælatibus, aut aliquibus eorumdem: quæ quoad hoc nullius ex nunc fore decernimus firmitatis.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam huius nostre prohibitionis, derogationis, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Avenioni, quarto nonas Julii, Pontificatus nostri anno I.

Clausula.

Dat. die 4. Julii 1335. anno 1.

I V.

Reformatio Ordinis Cisterciensis Monachorum S. Benedicti.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Fulgens sicut stella matutina in medio nebule sacer Cisterciensis Ordo in Ecclesia militante strenue militat operibus & exemplis, fervideque satagit per sanctæ contemplationis applausum, & innocentis vitæ meritum montana scandere cum Maria; seque per exercitium laudabilium actionum, & penum piorum operum curiosum, Martiæ satagentis officio conformare. Hic nempe Ordo in divini cultus ministerio sedulus, ut sibi & aliis proficiat ad salutem, in sacre lectione Paginæ studiosus, ut ad perfectam excellentiæ supernæ cognitionem valeat pervenire; præstans & promptus in operibus charitatis, ut adimpleat legem Christi, a mari usque ad mare palmites suos meruit dilatari, quia gradualiter ad virtutum culmina patenter ascendit, & proinde per sacri Pneumatis inflammantis corda debilia fistulas gratis abundavit, dignumque se reddidit a Romana Ecclesia, Ecclesiarum omnium magistra, multis insigniri privilegiis, & gratiosis favoribus communiti.

Cisterciensis Ordinis Encomium.

Benedictus in minoribus huius Ordinis Monachus.

§. 1. Huius quoque Ordinis ab adolescentia nostra perseveranter jugum sustulimus, & in eo alumni effecti, per temporum curricula diuturna crevimus, tam in illo quam extra ipsum successivis prælationum honoribus; & tandem conscendimus, quamquam immeriti, summi Cathedram Pastorum. Licet autem, exigente Apostolici ministerii cura, cuiuslibet Ordinis approbati incrementum felix & floridum plenis affectibus in eo zelemur, a

Nonnis gravissimis de casibus se motum afferre ad hanc edenda statuta.

Proprii cuiuslibet Monasterii sigillum.

Juramentum de non alienando ab Abbatibus emittendum.

Casus & forma alienandi.

quo coelicæ ac terrenæ salutis perfectio derivatur; eundem tamen Cisterciensem Ordinem acie internæ devotionis & charitatis aspicimus; & ea, quæ ipsius salutem & prosperitatem respiciunt, quatenus æterni Patris beneplacitis gratificari credimus, favorabiliter promovemus.

§. 2. Sane recensentes memoriter, quod ab olim, dum eramus intra Ordinem prælibatum, certa nos experientia instruebat, quod super quamplurimis articulis inferius explicatis, Ordo ipse Apostolicæ provisionis remediis indigebat; nos hæcenus & moderno tempore super eis & nonnullis aliis a dilectis filiis Guillelmo Cisterciensi Joanne de Firmate, Joanne de Claravalle, & Rainaldo de Morimundo Monasteriorum dicti Ordinis Cabilonenfis & Lingonenfis Diocesis Abbatibus, diligentem collationem præhabita, super his omnibus plenarie informati dignum ducimus, & pro urgenti necessitate, ac evidenti utilitate Ordinis memorati, suadentibus etiam aliis iustis & rationabilibus causis, statuta & ordinationes, prout series subscripta describit, auctoritate Apostolica edere; quæ volumus & decernimus solidam habere roboris firmitatem, eaque debere perpetuis futuris temporibus firmiter observari; videlicet:

§. 3. Cum cautela provisio in omnibus sit habenda, & præcipue ne paulatim deveniat in collapsum, quod est antiquitate vel prolixitate peracti temporis acquisitum, statuitur, ac etiam ordinamus, quod quilibet Conventus cujusvis Monasterii, seu alterius loci Conventualis dicti Ordinis, habeat proprium & speciale sigillum. Et quod quilibet Abbas Monasterii, sive alius loci alterius Conventualis, administrationi principaliter præsidens ejusdem Ordinis, & etiam Abbas Cisterciensis, qui est pro tempore, antequam Abbatie suæ vel administrationis hujusmodi se immisceat, juramentum præstare ad sancta Dei Evangelia teneatur, quilibet scilicet inferior in manibus Abbatis, qui electionem de ipso factam confirmare habebit, & in præsentia sui proprii Conventus, necnon ipse Abbas Cisterciensis, qui est pro tempore, suo Conventui, & prænominatis tribus, necnon Monasterii de Pontignaco dicti Ordinis Antifiodorensis Diocesis Abbatibus, si apud dictum Monasterium Cisterciense præsentibus extiterint; quod possessiones vel jura, ad suum Monasterium vel alium Conventualem locum ejus pertinentes seu pertinentia, non vendet, nec alienabit, neque impignorabit, neque de novo infeudabit, nec per aliquem modum donabit, nisi per modum inferius designatum. Et hoc idem illi, qui nunc sunt Abbates Monasteriorum, seu aliorum locorum Conventualium ipsius Ordinis regimini Præsidentes, teneantur juramentum præstare infra sex menses, postquam statutum & ordinatio hujusmodi publicata fuerint, in proximo seculo Capitulo generali ejusdem Ordinis.

§. 4. Quod quotiescumque alienationem rei immobilis, vel jurium alicujus Monasterii, vel alterius loci Conventualis dicti Ordinis, vel diminutionem censuum, seu pen-

sionum, vel canonis, aut venditionem arborum, sylvarum non cæduarum immisere contigerit faciendas, tractatus duorum dierum (ad minus) interpolatorum diligens & maturus præcedere debeat, habendus per Abbatem Monasterii, seu Præsidentem regimini alterius loci Conventualis, cujus erunt res, jura, census, pensiones, canon, & sylva hujusmodi, cum suo conventu Monasterii seu alterius loci Conventualis præfati. Et nihilominus alienatio seu venditio hujusmodi fiat de consensu ipsius Conventus, vel majoris & sanioris partis ejusdem; & quod de tractatu & consensu jam dictis scriptura conscribatur authentica, in qua nomina & cognomina tractantium & consentientium, & sigilla Abbatis Monasterii, vel Præsidentis regimini alterius loci Conventualis, & Conventus Monasterii seu loci hujusmodi apponantur. Et antequam procedatur ad alienationem seu venditionem ipsam, petatur & obtineatur licentia super hoc ab ipsius Ordinis Capitulo generali; & subsequatur discussio super alienatione seu venditione hujusmodi, faciendi per duos Abbates prædicti Ordinis, ab eodem Monasterio seu alio Conventuali loco non remotos, per dictum generale Capitulum deputandos, & cum approbatione seu auctoritate duorum Abbatum præfatorum. Quodque tam Abbas Monasterii, seu Præsidentis ipsi Conventuali loco, quam duo Abbates prædicti, & etiam Abbas ejusdem Monasterii, vel deputatus ab eo, præsentem Conventui ipsius Monasterii, seu alterius loci Conventualis, cujus res, jura, census, pensiones, vel canon, aut sylva hujusmodi alienanda seu vendenda fuerint, juramentum præstent ante discussionem prædictam, quod in præmissis fideliter se habeant, omni dolo & affectione inordinata remotis; & quod etiam fiat de causis alienationis seu venditionis hujusmodi, & solemnitatibus præfatis, per quatuor Abbates prædictos, & Præsidentem ipsi Conventuali loco, sub eorum sigillis plena & fidelis relatio in proximo subsequenti generali Capitulo antedicto; ut videatur, si circa hæc omnia debite processerunt. Verum cum Monasterium seu alium Conventualem locum, Castrum, Villa, Grangia, vel res alia multum notabilis, alienandum vel alienandus seu alienanda fuerint, Capitulum generale ipsius Ordinis alienandi licentiam concedere non præsumat, nec procedatur ad eam quovis modo faciendam vel auctorizandam, nisi prius per idem Capitulum generale Romano Pontifice consulto, & ab eo super hoc petita licentia & obtenta. Si vero aliter, quam præmissum est, aliquis Abbas, vel regimini Præsidentis, alienare præsumpserit, tam ipsi, quam Officiales ipsius Monasterii seu loci Conventualis, in hac parte consentientes eisdem, ab administrationibus suis per Abbatem deponantur eorum, & alienatio hujusmodi præsumpta, sit ipso jure irrita & inanis.

§. 5. Coetereum, si propter alicujus Monasterii seu loci Conventualis debita exolvenda, vel ut aliquid aliud, quod eidem Monasterio seu Conventuali loco sit utilius, acquiratur, aliquid alienandum extiterit, pecunia, que

Pecuniam ob alienationibus utiliter expendi; & conservari mandatur.

Locationes non nisi ad quinquennium faciendæ.

Excipiuntur tamen parva, steriles, que possessiones ab hac lege.

Mutui nonnulli hic expressi de casibus accipiendi norma.

quæ inde habebitur, ad nullos usus alios, quam in acquisitionem, seu debitorum solutionem hujusmodi convertatur. Et si secus actum fuerit, Abbas Monasterii, vel alius Præsidentis Conventuali loco, pecuniam hujusmodi ad usus alios, ut præfertur, convertens, vel conversioni hujusmodi consentiens, ab administratione sua per Abbatem deponatur ipse. Ceteri vero Monachi participes vel consentientes in idipsum, sint ad quodcumque officium seu administrationem ejusdem Ordinis inhabiles ipso facto. Nec pecunia ipsa in solius Abbatis seu alterius regimini Præsidentis, aut Burfarii alicujus eorum remaneat potestate; sed reponatur in aliquo securo loco sub quatuor serraturis, & diversificatis clavibus, quarum primam teneat Abbas Monasterii, seu loci Conventualis regimini Præsidentis, secundam Burfarius, tertiam Prior claustralis, & quartam alius Monachus ipsius Monasterii seu loci Conventualis, de quo ejusdem Monasterii seu loci Conventualis conventui, seu majori & saniori parti ejusdem expedire videbitur, fideliter conservandam.

§. 6. Volumus etiam, quod circa concessionem jurium aut reddituum alicui ad vitam ejus vel aliud certum tempus, & circa locationes, vel etiam reddituum aut fructuum, venditiones, ultra quinquennium faciendas, præmissa forma per omnia observetur; hujusmodi tamen consultatione, ac licentia Romani Pontificis, & etiam licentia dicti generalis Capituli, & relatione in eo faciendæ exceptis. Permittimus tamen, quod parva, steriles, vel inutiles possessiones concedi possint sub annuo censu pecuniario, vel sub certa portione seu quota proventuum, ad tantum tempus quantum visum fuerit Abbati Monasterii ipsius, & alteri Abbati alicujus Monasterii, vel Præsidenti regimini loci Conventualis ejusdem Ordinis. Præcedente tamen maturo ac diligenti tractatu habito cum suo Conventu, & de consensu ipsius, vel majoris & sanioris partis ejusdem, præfatioque perimitur juramento per ambos Abbates prædictos, eodem Conventu præsentem, quod concessionem hujusmodi facere intendunt pro utilitate Monasterii, seu loci Conventualis, cujus erunt possessiones prædictæ. Et si aliter hujusmodi concessio facta fuerit, eo ipso sit irrita & inanis. Si autem multitudo dictarum possessionum, quamvis parvarum, sterilium vel inutilium existeret concedenda, tunc ante hujusmodi concessionem earum consulatur idem Capitulum generale, ac ipsius super hoc habeatur licentia, prout superius est distinctum. Abbas vero, vel Præsidentis regimini loci Conventualis, si contrarium attentare præsumpserit, ac officiales ipsius Monasterii seu loci Conventualis, super hoc ei consentientes, per eorum Abbatem a suis administrationibus deponantur.

§. 7. Insuper quia plerumque contingit imminere necessitatis articulum, in quo ex diversis causis expedit Abbatibus, & Præsidentibus principaliter regiminibus aliorum locorum Conventualium, contrahere mutuum, hanc provisionis cautelam modificatam in-

hac parte volumus adhiberi, quod nullus Abbas, vel alius loci Conventualis regimini Præsidentis ipsius Ordinis, sine consensu proprii Conventus mutuum recipere valeat; & quod in authentica scriptura obligationis inde faciendæ apponantur eorumdem Abbatis vel Præsidentis regimini, & Conventus sigilla. Sed si Abbas a suo Monasterio, vel regimini Præsidentis ab ejus Conventuali loco remotus existeret, talisque urgeret necessitas, quod sine receptione mutui, sibi vel familiæ suæ aut negociis utilibus seu causis per eum agendis providere non posset; permittimus, quod tunc sine suo consensu & ejus sigillo mutuum recipere valeat, quod, tamen summam centum librarum Turonensium parvorum, seu valorem ipsarum, sive integraliter seu particulariter non excedat; cujus mutui quantitatem, causam obligationis, ac personam, a qua illud receperit, Abbas, vel alius regimini Præsidentis, mutuum ipsum recipiens, infra octo dies post ejus regressum ad Monasterium proprium, vel suum Conventualem locum, ipsius, Conventui ad hoc specialiter congregato explicare teneatur. Et quod ex quo semel usque ad hujusmodi summam centum librarum mutuum receperit, non possit amplius mutuum recipere sine consensu & sigillo Conventus ejusdem, donec dicta centum libra fuerint integraliter persolutæ. Quicumque autem Abbas, vel alius Præsidentis regimini loci Conventualis, per se vel per alium contrafecerit, eo ipso ab ingressu Ecclesiæ ac divinis Officiis sit suspensus.

§. 8. Et quia gesta hominum scriptura fidei committuntur, ut rei gesta memoria, in posterum habeatur, volumus & ordinamus, ut ubicumque Abbates, vel alii locorum Conventualium regiminibus Præsidentes, aliquid cum expresso consilio, suorum Conventuum faciant, de quo testimonialis conscribatur scriptura, quod sigilla ipsorum Abbatum, vel aliorum regiminibus Præsidentium, eorumque Conventuum apponantur in illa. Et quod deinceps in sigillo cujuslibet Abbatis, vel alterius loci Conventualis regimini Præsidentis, quocumque nomine censetur, ipsius nomen proprium exprimat, ut melius sciri possit, per quem, & cujus tempore, id, de quo agatur, factum extiterit, & ut malius falsitatum commentis via melius præcludatur.

§. 9. Præterea, cum sit consonum rationi, ut negotiorum gestores & officiales degerendo fideliter & utiliter negocia & officia exercenda illis commissa, juramenti vinculo adstringantur, volumus & ordinamus, quod Cellararii, Burfarii, negociorum gestores, Rentarii nuncupati, ceterique Officiales cujuslibet Monasterii, seu alterius loci Conventualis, & eorum Grangiarum Magistri, cum ad officia vel magisteria hujusmodi assumuntur, juramentum præstare teneantur in manibus eorum Abbatis, vel alterius loci Conventualis regimini Præsidentis, suique Conventus, quod in commissis officiis, administrationibus, vel grangiis, fideliter se habeant; & quod de receptis & expensis fidele computum reddent, & reliqua ipsi Monasterio

Quæ de Conventuum consensu peragi debent, in scriptis relinenda.

Juramentum ab Officialibus de fidelis administratione præstandis.

sterio seu Conventuali loco, aut eorum Bur-
fariis assignabunt. Et quod illi Cellararii, Bur-
farii, negociorum gestores, Officiales, & Ma-
gistri, qui nunc sunt, præstare teneantur si-
mile juramentum.

Deposarii
duo in quo-
libet Mona-
sterio eligen-
di, qui qua-
ter annis fin-
gulis ratio-
nem reddant.

§. 10. Et quia, ubi prudentia & moderan-
tia fidei firmitate vallata non vendicant sibi
locum, luxu inest; longique temporis vi-
ctum brevis hora consumit, decet & expedi-
dit, ut per dispensatores prudentes & fidos
quæque manuteneatur substantia, & etiam
dispensetur. Unde statuimus & etiam ordi-
namus, quod in singulis Monasteriis, & aliis
Conventualibus locis prædicti Ordinis, per
Abbatem seu alium regimini Præsidentem,
de seniorum sui Conventus consilio, duo Bur-
farii depotentur, quorum unus principalis
existat. Qui siquidem Burfarii omnes pecu-
nias ipsius Monasterii vel loci Conventualis
undecumque provenientes, universaliter reci-
pian, & de dicti Abbatis, vel regimini
Præsidentis mandato, cæteris Officialibus &
aliis distribuunt, prout fuerit opportunum;
ipsique Burfarii quater in anno, sed cæteri
Officiales & receptores proventuum semel,
& etiam pluries, si eidem Abbati, vel regi-
mini Præsidenti videbitur expedire, de omni-
bus receptis & expensis coram prædicto Ab-
bate, vel regimini Præsidente, ac senioribus
de Conventu ipsius Monasterii seu loci Con-
ventualis, teneantur plenissimam & fidelem
reddere rationem.

Iis vero ratio-
nem quo-
vis anno red-
dant de recep-
tis, & expen-
sis Abba-
tes.

§. 11. Abbates etiam, vel regiminibus
Præsidentes, coram dictis senioribus & Bur-
fariis annis singulis de receptis & expensis
per eos, plenam & fidelem rationem redde-
re teneantur. Recipiantque ipsi Abbates, vel
regiminibus Præsidentes, a dictis Burfariis pec-
nias pro expensis eorum. Et si dum ipsi
extra Monasteria vel alia Conventualia loca
eorum accesserint, eos pecunias contingat
de proventibus Monasteriorum, seu locorum
Conventualium eorum, aut aliunde recipere,
hujusmodi pecunias in ipsorum regressu
tradant burfariis prælibatis, computatis, si quas
de ipsis pecuniis expenderunt, Abbates vero
seu alii regiminibus Præsidentes, si secus at-
tentare, vel sibi alia retinere præsumpserint,
ab ingressu Ecclesiæ ac divinis Officiis post
lapsum duorum mensium a die regressus hu-
jusmodi computandorum, tamdiu suspensi
existant, donec ea tradant burfariis memora-
tis.

De Visitato-
rum numero,
officio, &
evictionibus.

§. 12. Porro quia per visitationis actum,
de vita & conversatione illorum, qui visi-
tantur exquiritur, & per eum sincere debet
correctionis & reformationis officium exer-
ceri, nec proinde hi juxta canonicas etiam
sanctiones superfluis sunt impendiis aggravandi,
statuimus ac etiam ordinamus, quod Vi-
sitatores dicti Ordinis in aliquo Monasterio
per eos visitando, antequam officium visita-
tionis incipiant, nisi prima die, qua declina-
bunt ad illud, valeant demorari; & si mane-
re ibi voluerint, sequenti die dumtaxat id li-
citem sit eidem. Et quod visitationes in
eodem Ordine faciende, deinceps non durent
ultra triduum continuum, nisi apparens ne-

cessitas, vel magna utilitas Monasterii visita-
ti, dies exposceret ampliores: quodque ille
Visitator, qui ultra ipsos prædictos duos dies,
vel ultra præfatum triduum, absque necessi-
tate vel utilitate prædictis, easdem visitatio-
nes prorogare præsumpserit, si Abbas fuerit,
sit a stallis chori & loco Capituli Abbatia-
libus per unum sequentem annum eo ipso
suspensus, & sedere in stallis & loco Capi-
tuli remotis a stallis aliis & locis Abbatia-
libus teneatur: si vero fuerit Monachus, eo ipso
sit per unum annum sequentem inhabilis ad
quodcumque officium, & administrationem
seu gubernationem in eodem Ordine obten-
da. Et nihilominus per sex menses sequentes
in pane & aqua in suo Monasterio jejunare,
qualibet sexta feria teneatur; & quod similes
penas incurrant Abbates & Monachi, qui vi-
sitationis officium impendendo, numerum eye-
ctionum, per sel. recor. Clementem Papam IV.
Prædecessorem nostrum super hoc taxatum,
excedent. Nec præsumant Visitatores ipsi an-
te hujusmodi eorum visitationem vel in ipsa
seu post eam, occasione dictæ visitationis
aliquid munus suspectum per se vel alium re-
cipere, nec illud a suis recipi permittant;
expensas tamen, quas fecerint ad visitatum Mo-
nasterium eundo, & de ipso redeundo, reci-
pere valeant juxta ordinationem super hoc fa-
ctam per Clementem eundem.

§. 13. Ubi autem a Monasterio jam visi-
tato usque ad Monasterium visitandum ali-
quod vel aliqua Monasteria in itinere consti-
tuta extiterint, ad que dicti Visitatores possint
commode declinare, hoc ipsi efficere valeant;
dictaque Monasteria taliter constituta eosdem
Visitatores caritative recipere, decenterque
tractare, ac eis providere in victualibus tene-
antur, & pro diebus, quibus ad hujusmodi
constituta, ut præfertur, Monasteria declina-
bunt, & eis, ut prætangitur, provisum exte-
rit, nullas expensas possint a Monasterio seu
locis recipere visitatis. Abbas autem contra
prædicta recipiens, nisi infra duos menses a
receptione hujusmodi computandos, eis a qui-
bus receperat, receptum restituat, ipsis elap-
sis, duplum restituere teneatur. Monachus ve-
ro quicquid contra id receperit, restituere
non postponat, & ob hoc regulari subiacet
disciplina.

§. 14. Nec audeant præfati Visitatores in
ipsis Visitacionibus sibi alios Abbates ad-
jungere, nec ipsi alii Abbates se illis adjungant,
nisi pro consilio vel auxilio, ubi casus depo-
sitionis alicujus Abbatis, vel aliud magnum
& arduum negocium, seu patriæ vel loco-
rum, per que transire haberent, periculum
immineret, seu interpretatio linguarum ne-
cessaria foret; verumtamen Cisterciensis, &
quatuor Abbates quatuor principalium filia-
rum, qui sunt pro tempore, ac superius no-
minantur, in eisdem visitacionibus unum alium
Abbatem, si velint, secum recipere, vel sibi
adjungere valeant.

§. 15. Neque prædicti Visitatores nomina
eorum, qui eis in ipsis visitacionibus secreta
revelaverint aliqua, ea revelare præsumant,
nisi tunc demum, cum propter revelata hu-
jus-

A Monasterio
interjacenti-
bus vicium
solummodo
recipiunt.

Quibus de
causis Visita-
toribus ad-
jungendi Ab-
bates.

Nomina eor-
um qui Se-
creta eis noti-
ficant revela-
re non pos-
sunt.

jusmodi ad alicujus punitionem vel poenam
fuerit procedendum, necnon revelantes hu-
jusmodi puniantur plus vel minus, prout facti
qualitas exiget, secundum arbitrium ipsius Or-
dinis Capituli generalis.

Abbates Vi-
sitantes quid
restare pos-
sunt.

§. 16. Et quod Abbates majores post Ab-
batem Cisterciensem, & quatuor alii Abbates
eorundem principalium Filiarum, qui sunt pro
tempore, extra visitationes eorum, sex tan-
tum; alii vero minores Abbates quatuor
evictionibus sint contenti; nec hoc prætextu,
qui paucioribus uti solebant, credant sibi po-
testatem plurium attributam.

§. 17. Rursus, præcavere volentes, ne
per Abbates vel Monachos dicti Ordinis, de-
clinantes ad alia Monasteria ejusdem Ordinis,
veniendo ad hujusmodi Capitulum generale,
vel de illo redeundo, seu alias, hujusmodi
alia Monasteria plus debito aggraventur, sta-
tuimus & ordinamus, quod Abbates aut Mo-
nachi præfati ad idem Capitulum venientes,
vel de ipso redeunt, seu alias, tamquam
hospites ad aliquod Monasterium seu locum
Conventualem jam dicti Ordinis declinantes,
non remaneant in eodem Monasterio seu Con-
ventuali loco, vel locorum ipsorum, ultra
diem, qua illuc declinaverint, & sequentem,
nec ultra dictos dies; Abbas vel Cellararius
aut aliquis alius dicti Monasterii seu loci Con-
ventualis, aut aliquorum locorum eorum-
dem, ipsos invitare, vel amplius eis aliquid
ministrare præsumant. Quod si ex aliqua ra-
tionabili causa ipsi, vel aliqui de familia eor-
undem, amplius remanere voluerint, expen-
sas, quas tunc ibi fecerint, de bonis proprii
Monasterii, vel aliunde procuratis,olvere tene-
antur. Quicumque vero contrarium fece-
rint, tam dantes, quam recipientes, de ino-
bedientia & transgressione hujusmodi statuti
& ordinationis nostrorum per generale dicti
Ordinis Capitulum puniantur. Sed per præ-
dicta nullum jus ipsorum declinantium alicui
acquiratur, etiam per ipsos duos dies vel alias
ad aliquod Monasterium seu locum Conventua-
lem ejusdem Ordinis, aut locorum eorum de-
clinandi, aut in eorum aliquo remanendi; hoc
tamen salvo, quod circa patenter infirmantes
solita caritas, & pia hospitalitas obser-
ventur.

Abbates non
accidentes ad
Capitulum
generale quo
pacto coor-
dandi.

§. 18. Quia vero ideo sunt hujusmodi ge-
neralia Capitula instituta, ut in eis de statu
Monasteriorum, & aliorum locorum regula-
rium, ac de reformatione Ordinis, & obser-
vantia regulari, tractatus debeat diligens ad-
hiberi, dignum & debitum fore dignoscitur,
ut ad illa convenienti universi, quibus id im-
minet, præpeditioem canonicam non habentes.
Quare statuimus & etiam ordinamus, quod
Abbates ipsius Ordinis, qui de cætero non ve-
nerint ad dictum Capitulum generale (qui
venire tamen tenebantur, secundum Ordinis
prædicti statuta, non habentes impedimentum
legitimum, seu licentiam specialem ab eo,
qui dare possit eandem) exhibere teneantur
duplum ejus, quod expensuri essent ad idem
Capitulum veniendo, & redeundo de illo,
duplumque hujusmodiolvere in sequenti Ca-
pitulo generali in utilitatem ipsius generalis

Capituli convertendum: & quod possint Defi-
nitores ejusdem Capituli generalis tales Ab-
bates non venientes ad duplum hujusmodi
exsolvendum, auctoritate Apostolica per cen-
suram Ecclesiasticam, sublato appellationis ob-
staculo, coarctare; eorumque super hoc pro-
cessum habendum, & ferendas sententias
publicare, ac facere publicari. Quodque circa
ipsum duplum in totum vel in partem nulli
valeat fieri gratia, vel remissio indulgeri. Illi
vero Abbates, qui legitimum impedimentum
seu licentiam hujusmodi asseruerint se habe-
re, illa Conventibus suis tempore, quo iter
eundi ad d. Capitulum arripere deberent, ex-
ponere teneantur, & nihilominus subsequen-
ter de dictis impedimento sive licentia in ipso
generali Capitulo fidem facere per suum pro-
curatorem, seu excusatorem, probum & ido-
neum virum, habentem speciale mandatum
præstandi juramentum in animam ipsius mit-
tentis, causas absentia, ac impedimentum
hujus vera esse; quod quidem juramentum
præstare teneantur, si visum fuerit Abbati Ci-
sterciensi, qui est pro tempore, ac Præsiden-
tibus ipsi Capitulo generali. Et si Abbas ac
Præsidentes præfati tale impedimentum & li-
centiam ipsam non esse legitimam fuerint ar-
bitrati, tales Abbates, qui ad idem Capitulum
nequaquam venerunt, declarent incurrisse po-
enam solvendi præfatum duplum, quemadmo-
dum est præmissum.

De Contribu-
tionibus sol-
vendis.

§. 19. Quia vero nonnulli, sicut accipi-
mus, ad solvendum contributiones, que in
eodem Ordine pro necessitatibus & usibus
communibus, & alias consuetis ipsius Ordinis
pro tempore imponuntur, se reddunt diffi-
ciles & remissos, nos adversus eos, & circa
negotia contributionum ipsarum, aliæque il-
la contingentia, prout sequitur duximus pro-
videndum: videlicet quod Abbati Cisterciensi,
& quatuor Coabbatibus principalium Filiarum
supradictis, & qui pro tempore fuerint, &
cuilibet eorumdem, auctoritate Apostolica,
remoto appellationis obstaculo, per cen-
suram Ecclesiasticam, & per alia remedia jux-
ta dicti Ordinis instituta & observantias con-
suetas, aliæque opportuna remedia, compen-
dendi eos, quibus dictæ contributiones pro
tempore impostæ fuerint, ad solvendum,
eisdem; & ad id etiam coarctandum, recu-
santes seu negligentesolvere præfatas con-
tributiones jam impostas, & quovis alios
impedimentum præstantes publice vel occul-
te, quo minus contributiones prædictæ solvan-
tur, ad desistendum prorsus ab impedimento
hujusmodi, nec non processus habendos, ac
excommunicationis suspensionis & interdicti
aliaque sententias ferendas in tales recusan-
tes, negligentes, & impedimentum præstan-
tes, nunc & in posterum, in eorum & aliis
Monasteriis ac locis circumvicinis dicti Or-
dinis, prout fuerit opportunum, ac in gene-
rali Capitulo ipsius Ordinis publicandi, &
publicari faciendi, plenam atque liberam con-
cedimus tenore præsentium potestatem.

§. 20. Volumus autem, quod prædictas con-
tributiones deinceps recipiant tres Abbates
dicti Ordinis, ad hoc per ipsum generale Ca-
pi-